



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

98. Winvalocvs Capellanus ad S. Praxedem vi foundationis quotidie in Sacello huius Sanctæ celebrare obligatus peccat mortaliter, si sæpius alibi celebret absq[ue] iusta causa; non tamen tenetur ad ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

inter Episcopum confirmantem aliquem ex aliena Diœcesi: & Parochum baptizantem infantem ex alia Parochia, cùm huic Parocho aliquod etiam stipendium subtrahatur, atque ideo, sicut & ob plura alia incommoda, istius rati-habitio non tam facilè præsumi possit.

*XCVIII. Winualocus Capellanus ad S. Praxedem tenetur vi Foundationis quotidie in Sacello & Altari huius Sanctæ Praxedis celebrare, & tamen frequenter alibi celebrat: aut, quando in hoc loco propter exortum impedimentum non potest celebrare, omnino Sacrum illo die omittit. Queritur 1. An alibi celebrando, cùm hic posset, non tantùm peccet mortaliter, sed etiam teneatur ad compensationem? 2. An illo die, quo propter impedimentum in hoc loco celebrare nequit, similiter peccet, teneaturque ad compensationem, si Sacrum omittat?*

Videtur Winualocus in utroque casu peccare grauitè, tenerique ad compensationem. Ita Azor part. 2. instit. Moral. l. 6. c. 24. q. 7. & non pauci alij; imò plerique quoad alteram quæstionem casûs. Ratio est, quia in re graui non facit, quod ex obligatione faciendum, etiam tunc, quando celebrare non potest in loco designato, cùm melius sit, alibi Sacrum fieri, quàm nusquam, quod Fundator intendisse præsumitur. Ergo nõ tantùm peccatum, sed obligationem quoque compensationis contrahit

Resp.

Resp. 1. Si Winualocus absque iusta causa sæpius (nam bis vel ter in Anno exiguum habetur) alibi celebrat, peccare ipsum mortaliter. Ita communis DD. Ratio fuit iam indicata, quia non implet voluntatem Fūdatoris, nec præstat id, ad quod fuit assumptus, seque obligauit præstandum. Resp. 2. Eundem non teneri ad compensationem, si alibi celebret, etiamsi absque iusta causa id faciat. Ita cum alijs Barboſa de *Episc. Potest. P. 2. alleg. 24 n. 36.* & alij ab hoc relati. Ratio est, quia tunc non priuat Fundatorem fructu sacrificij. Adhæc ex compensatione alterius Sacri faciendi nullus specialis honor accrescit Fundatori, cum adstantes ignorent, Missam hanc à tali Fundatore prouenire: cultus autem Sacello & Altari S. Praxedis non exhibitus satis alio in loco compensatur. Resp. 3. Si Winualocus propter impedimentum in hoc loco v. g. violationis, inundationis &c. celebrare nequeat, nõ teneri ipsum alibi celebrare, saltem si Fundator solùm intenderit venerationem S. Praxedis, & talis loci, & non specialiter fructum sacrificij. Ita Barboſa *loc. cit. n. 35.* Ratio desumitur à pari; nam qui vouit ieiunare in Vigilia S. Praxedis, si eo die non possit, non tenetur alio die ieiunare. Ergo etiam, qui debet celebrare in Altari eiusdem Sanctæ, si nõ possit ibi celebrare, non tenetur alibi; nam licet melius sit alibi, quàm nullibi celebrare,

Rr 4

illa

illa tamē obligatio est affixa huic loco, adeo-  
que extra hunc non subsistit: nec illud me-  
lius Fundator intendisse præsumitur, si nõ ra-  
tionabile huius dubium ostenditur. *Atque ex  
his patet ad rationem in contrarium.*

XCIX. *Zambdas vir nobilis ac diues frequen-  
ter Iouinum amicum suum adhibet mensæ suæ, &  
haustu vsque ad ebrietatem vel periculum huius  
vrget: Subinde etiam adeo fit efferus, vt Iouinus  
vel repetitis equalibus haustibus cum ipso inebria-  
ri, vel periculum grauis percussionis aut duelli subi-  
re debeat? Queritur. 1. Vtrum Zambdas peccet  
mortaliter cum tali periculo vrgerendo ad potum?  
2. Vtrum Iouinus inebriare se possit, vt grauem  
percussionem, aut duellum euitet?*

Videtur, Zambdam non peccare mortaliter  
ita vrgerendo, quia ex bono id affectu, & iuxta  
morem patriæ facit: Iouinum verò grauitet  
delinquere se inebriando, vt malum aliquod  
euadat; *melius quippe erat, inquit S. Angusti-  
nus serm. 232. vt Caro tua sobria occideretur,  
quàm vt per ebrietatem anima moreretur.* Ad-  
hæc non sunt facienda mala, vt eueniant  
bona, quo argumento vtitur Azor Tom. 1. L.  
7. c. 33. q. 5. post Caiet. Et Wiggers c. 2. de Tem-  
per. dub. 5. inde apertè docet, inebriare se sci-  
enter sic intrinsecè esse malum, vt nec ex me-  
tu mortis licitum fiat.

Resp. 1. Zambdam peccare mortaliter  
vrgerendo conuiuam suum vsque ad periculum  
ebrieta-